

καίνωρ γνώμην εἰδὼς, ἀλλ' οὐκέτι ἐνθεάσασας Βαλόμενος, ὅτι τοῖς
αὐθεόποιοις ἐμπτιτήτοις ἀσθιατῶν εἴσιν. Quæ cum ita se ha-
beant, non equidem antè fanaticis istis Cometarum cul-
toribus fidem adiungam, quām se diuinæ uoluntatis &
consiliorum participes factos, & ad æterna illa, atq; ut
Paulus scribit, imperscrutabilia Dei iudicia admissos
fuisse demonstrent. Ostendant igitur prius, si credi sibi
uolunt, unde didicerint iratum nobis Deū, hoc tam sin-
gulare portentosumq; (usitata enim illa non pernego)
iræ suæ signum de cœlo suspendisse, quod idem magno
rum etiam suppliciorum, quib; humanum genus affli-
cturus & perditurus sit, causam in se contineat. Quis
angelus, hæc tanta eos arcana docuit? Peccata, inquiūt,
populi indicio sunt, Deum iratum esse. Ne hoc quidem
ignoramus o bone, sed ita non Cometæ, uerū peccata
ipsa irasci Deum significant: imo etiam pœnam delictis
nostris debitā sola & tota uere attrahunt. At non uul-
garis illius inquies, sed grauioris indignationis diuinæ
signa sunt Cometæ: quia peccata etiā grauia sunt. Quæ
ætas, amabo te, quæ natio, quis populus, quis fuit, aut
est mortalis unquam liber à peccatis: nunquam certe
peccare & uarijs homines se inquinare sceleribus,
dum mundus hic aspectabilis durabit, desinent. Qua-
re nullus erit Cometarum finis, totum semper cœlum
incendijs ardere necesse erit. Non ex Cometis, ne quid
ignores, discimus quid sequi, quid fugere debeamus.
non in cœlo, sed in sacris literis nos spectare & discere
Deus uoluit, quid cum suis mandatis congruat, quid re-
pugnet, quid eum offendat, quid probet, quas pœnas
sceleribus nostris, quæ recte factis præmia constituerit.
Hic mihi illud obijci posse video: ex proprijs cuiusque
artis principijs agendum esse, me autem finibus uiola-
tis genus transcendere, cùm ex theologia contra astro-
logastros pugnem. Sed cur illi, quæso, ex sua arte in alie-
nam irruunt, & commenta sua sacrī oraculis stabilire
conantur? Sibine in re absurdā & uana comprobanda